



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...**

**Dietmer, Georg**

**Moguntiaë, 1674**

Caput I. Magnitudo dolorum Beatissimæ Virginis consideratur ex triplici  
amore erga Iesum filium suum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

stantis; eundem ingenti cordis solatio  
& gaudio invisit. *Ann. Mar. 13. Jan.*  
O si vel semel hoc tibi obtingat, quam  
amplo munere tuum obsequium erit re-  
pensum. Sed ne tibi metuas; indigni  
equidem sumus istâ in terris lætitiâ,  
erit, cum post dolorum horum piam  
memoriam, æternum cum Virgine, in  
cœlis lætabimur.

## DIES VENERIS.

Stabat autem juxta crucem Jesu  
Mater ejus. *Joan. 19.*

---

### CAPUT I.

*Magnitudo dolorum Beatissimæ Virginis  
consideratur ex triplici amore erga  
IESUM filium suum.*

**N**on ita rerum imperitus es mi Par-  
thenophîle, quin noveris rebus  
quibuslibet precium & æstimationem  
imponi ab amore, amor scilicet judex  
est, & censor valoris, à quo cujusque  
rei dignitas dependet; hinc fit ut sæpe  
res tantâ arte, ingenioque elaboratas,  
à natu.

à natura non raro ita perfectas, ut vix aliquod precium dignitatem earum exæquare possit; verum cum iudice amore careant, flocci fiunt, ac jacent. Certe virtutis tantus splendor est, tantumque precium, ut, vel ipsis ethnicis testibus, si oculis videri posset, mirabilem sui in animis hominum amorem excitaret, verum cum non videatur, non amatur; atque hinc est, quod à paucis condignè æstimetur. Sicut ergo forma, juxta Philosophorum placita rebus dat esse physicum; sic amor dat esse morale precii, & valoris. Quid prætulit Reginam Esther omnibus fœminis, tot regnis, & provinciis pulcherrimis repertis, ut ei dimidiam monarchiæ partem Rex Assuerus promitteret? *Esther* 4. prætulit ejusdem regis amor. Quanto non amore subinde homo rapitur in caducum flosculum? lapillum fragilem, quem ipsi idcirco preciosum vocitant; eoque per infortunium aliquod amisso, heu quam cruciantur, furere occipiunt, laqueos meditantur, ipsos dæmonas evocant, ut re

K

amatâ

amatâ & concupita repotiantur. Quo igitur rei cuiusdam amor altiores in pectore hominis egit radices, possessioque illius magis stabilita est; tantò intolerabilior ipsius apparet amissio, tantoque majores cruciatus, angores, & tormenta cordis illi progenerat, qui rem tantopere dilectam perditam deplorat. Ex quo clarissime rursus convinci potest, in SS. Virginis pectore, ac animo inexplicabiles, solique Deo cognitos dolores arsisse, quod ipsa sola præ creaturis reliquis omnibus filium maxime diligeret, cum tam dilecti mors, amissioque instaret. Erat autem amor Virginis erga dilectissimum filium suum triplex, ex quo vicissim ineluctabilis magnitudo doloris Matri dolorosæ enata fuit. Et primus quidem *Naturalis* erat, *acquisitus* alter, & tertius *supernaturalis*. De naturali certe amore constat Deiparam filium plus dilexisse, quam cæteræ matres omnes diligant; diligebat suum Jesum non tantum ut partem sui, sed ut se ipsam; si enim ideo Matres plus diligunt filios, quam iidem à Patribus diligan-

ligan-

ligantur, quia magis sciunt quod sint earum filii, quam Patres. Sciebat Virgo Deipara cujus hic esset filius perfectissime, suus, & Patris æterni. Erat hic filius ejus unigenitus, atque sine Patre secundum humanam naturam, adeo ut reliquorum parentum erga filium divisus, totus in solam matrem confluxisset. Profecto Hieremias 6. cap. ut eam nobis proponat amaritudinem, qua peccatorem suum lugere peccatum oporteret, inquit: *luctum unigeniti fac tibi plantam amarum.* Et Isajas declarans magnitudinem divini amoris erga suos, & singularem curam eis velut infantibus blandiendi, & consolandi in ipsius Dei Personâ sic loquitur: *Quemadmodum Mater consolatur filios suos, ita & consolabor vos.* Regiusque psaltes ut ingentem erga Jonatham, quem interiisse audiêrat, amorem testaretur, exclamavit: 2. Reg. 1. *Doleo super te frater mi Jonatha decore nimis, & sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.*

Erat præterea hic Unigenitus **MARIE** cunctis gentibus desideratus, in-

dole sanguinea, genioque ad summam admirationem amabili; Erat corpore, & mente Virgineâ, proportionem membrorum, & compositione formosissimus, Matrique similimus. si autem teste Bernardin: Senen. tom. 3. serm. 1. de glor. Nom. Mariæ art. 1. c. 2. similitudo & propinquitas est causa naturalis amoris, juxta illud Eccli. 23. omne animal diligit sibi simile. Necessè est inter Matrem hanc, huncque filium amorem fuisse perfectissimum, utpote maxime sibi propinquos, maximeque similes. Christus enim secundum humanam suam naturam totus erat de substantia Matris, si carnem spectes; Unde inter nullos fuit tanta dilectio, & intensissime filius à tanta Matre diligebatur in tantum, ut nullus amor Maternus eidem posset comparari. Erat præterea filius vitæ integerrimæ, moribusque compositissimis, ac sanctissimis; Erat Davidici Regni heres, & universorum Dominus; Erat in illo denique quidquid amabile in ullo vel haberi, vel optari potest. Mater præterea castissima nullis peregrinis, vel privatis

vatis

vatis amoribus retardabatur, neque amando filium excessum quendam amoris, ut cæteræ Matres subinde solent, poterat committere, hinc rapiebatur tota in filium absque ulla dilectionis intermissione. Ex quibus illud conficitur, si tantopere Mater Jesu naturali amore filium est profecuta, necesse est, in morte ipsius, ac amissione tantum dolorem materna confecisse viscera, quantus nullus dolor exstitit, vel cum omnium Matrum primogeniti ab Angelo devastante interficerentur in Ægypto; vel si omnium Matrum filiorum simul interemptorum dolor in unus miseræ Matris pectus conflueret. Sicut credimus authori Ciceroni in eo dialogo, quem de amicitia conscripsit, Orestem & Pyladem simul à Rege Thoante comprehensos fuisse, quod crederentur Dianæ simulacrum auferre furto voluisse; cum Orestes capite damnatus fuisset, nec tamen recte nosset, quis Orestes, quisve Pylades vocitaretur, Pyladem Orestis sibi amicissimi nomen tribuisse; obstitisse contra Orestem, seque

hoc nomine compellari, affirmasse, nec prius amore certare desiisse, quam ulterque vel neci traderetur, vel alter pro altero victima caderet, vel certe, ut contigit, utrique vita maneret. Quid sentiendum de amantissima filii sui Maria, quam illa amoris vehementia adacta, libenter filii loco vitam posuisset, quantoque acerbior ipsi vita fuit, quam optata mors, quod ab eo separaretur, quem ipsa tantopere dilexerat. *ficcine separas amara mors.* Quanto rectius ipsa dicebat, quam Agrippina de impio suo Nerone; Imperet filius meus, etsi miseram, imo ex eo capite felicem occidi, vel occidere matrem oportebit. Si Iacob audito nuncio de morte filii tantum doluit, ut *Gen. 37.* scissis vestibus indutus sit cilicio, luxeritque filium suum multo tempore, omnemque consolationem respuerit, dicens: *descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quid doloris, quidque mæstitiæ Virgeneo pectori adhæsisse autumas Parthenophile, in morte sui unigenti? gemebat scilicet: *Fili mi Jesu, Jesu fili mi, quis mihi tribuat*



tribuat ut ego moriar pro Te, Jesu fili mi, Fili mi Jesu; Doleo super Te fili Jesu, decore nimis, & amabilis; ac speciose præ cunctis filiis hominum, Quis mihi hoc tribuat ut moriar pro te fili mi Jesu! Verissimum igitur est, quod Bernardus de lamant. B.V. tradidit: Non credo plane enarrari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse creamus, quantum unquam dolere potuit de tali filio talis Mater.

Alter amor amantissimæ Matris erga filium dilectissimum erat acquisitus, cujus perfectio juxta Philosophum 8. Eth. c. 3. & 5. ac S. Thomam 22. quæ 23. a. 1. requirit idem domicilium, benevolum, & mutuum amorem, solet enim amor foveri & nutrirî communicationis, & familiaritatis pabulo, quo deficiente facile evanescit; unde & Aristoteles ait: *silentium dirî mere amicitias*. Ex quo capite rursus præcellentissimum fuisse Virginis amorem in suum dilectum clarissime convincitur. Aliæ imprimis Matres utero gestantes prolem non agnoscunt, multo minus cum eadem confabulantur, neque enim vel infantes usu rationis utuntur, vel Matres

qualis sit advertunt; Dominus autem  
 Jesus à primo suæ conceptionis instan-  
 ti, omni ratione, prudentiâ, & sapien-  
 tiâ, quâ creatâ, quâ increatâ pollebat,  
 atque adeo ab eo momento, quo verba  
 illa Deipara protulit: *fiat mihi secundum  
 Verbum tuum*, ab internâ cum filio suo  
 colloquutione nunquam cessavit. Quis  
 referat suavissima colloquia ut primum  
 mundo edidit salvatorem? quis ediffe-  
 rat benevolentiam Matris dum millena  
 infingeret amoris oscula, foveret sinu,  
 lactaret ubere. Erat deinde vita utriusque  
 communis inter labores, & duri exilii  
 incommoda, quæ tum abditi cordis,  
 sensuumque communio non intercesse-  
 rit, ubi tam continua alterius in alte-  
 rum amoris argumenta, ubi Natus sine  
 Patre amorem utriusque parentum debi-  
 tum uni Matri impendebat, ubi Mater  
 sine complexu conjugis, & paternas in  
 amando filio vices simul explebat, il-  
 ludque identitem utriusque auribus in-  
 sonabat: *Dilectus meus mihi & ego illi cant.*  
 3. *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.*  
 Posteaquam autem Puer Jesus profictebat  
 etate

*estate & gratia apud Deum & homines;*  
 Quantum seminarium amoris præbe-  
 bat pulchritudo, & forma insolita, stu-  
 penda & nunquam visa decoris species,  
 & Majestas? Erat præterea unicus filius,  
 Matris studiosissimus & observantissi-  
 mus; Erat desiderium collium æterno-  
 rum, & desideratus cunctis gentibus.  
 Erat præterea ea Mater, seque ipsam  
 clarissime talem agnoscebat, quæ tot,  
 tantisque beneficiis à filio præventa,  
 & cumulabatur indies, ut nec supremus  
 Angelorum princeps ea fatis capere va-  
 leret, cum & filius Deus esset, & infinita  
 posset, & infinite quasi amatæ Matrî  
 vellet conferre. Accedebant beneficia  
 mutua Matris in filium, de quibus Me-  
 thodius *orat. in Hypop. Dom. ad Virgi-*  
*nam conversus, sic eam alloquitur: Eu-*  
*ge, Euge, quæ debitorem illum habes, qui*  
*omnibus mutuo dat; Deo namque universi*  
*debemus, Tibi vero etiam ille debet. Nos*  
*profecto omnes Deo vitam debemus,*  
*incepitque idem beneficium à Domino*  
*Virgo; at debet vicissim vitam, quam*  
*habet humanam Virgini Deus, utpote*  
 K §                      quam

quam ab ipsa per veram generationem suscepit. Itaque Creator omnium cui omnes creaturæ debent, bruta elementa, flumina, fontes, plantæ, volucres, pisces, astra, cœli, & cœlestes spiritus, debitor factus est MARIÆ; ex quibus beneficiis mutuis, quamvis longe majoribus illis, quæ Virgo acceperat, indies indiesque augebatur Amor & incomparabiliter crescebat. Præterea summa erat amicitia Matrem inter & filium, quam, si vera sit, charitate metiri debemus, estque ea nil præstantius. Est enim vera amicitia rerum divinarum humanarumque cum benevolentia consensio, à qua summa voluptas ex charitate, & virtute nata, separari non potest. Quantus ergo in sanctissimo Virginis pectore viguit acquisitus amor? in quo nascebatur quotidie, & quasi per singula momenta nova radix & causa, & flos novi amoris. Filius ergo & Mater, inter quos teste Aristotele 8. Eth. cap. 7. 9. 14. Proprie amicitia potest consistere, omnes leges, omneque officium amicitia perfectæ expleverunt.

runt. Fuit itaque amor benevolentiae, quo sibi mutuo bonum volebant; fuit amor fundatus in communicatione bonorum, & sanguinis, ac virtutis. Fuit demum amor utrique cognitus; adeoque summa & perfecta amicitia, in qua omnia commoda, studiaque referebantur ad utilitatem amati, ita ut esset continuus fluxus, & refluxus amoris reciproci, plusque studeret amato amans, quam amans sibi ipsi amanti. Erant ergo in Christo omnes conditiones, quae Matrem incitarent ad summos amores. Dicebat ergo Jesus Matri: *Omnia es una mihi;* & Mater filio: *Unus es omnia mihi.* Filius, cognatus, Frater, Soror, Pater, Mater, Sponsus, Amicus, Fidejussor, Pastor, Spes, Vita, Protectio, Solatium, Creator, & Deus meus. Neque unius mensis, annive decursu sanctus hic crevit amor, hinc si computationem instituamus à conceptione Christi, usque ad mortem, necessesuit, ut quasi in infinitum excreceret hic acquisitus amor. Si enim Petri, Joannis, & Magdalenæ amor longe mino-

K. 6

re, &amp;

re, & per annos pauciores cum amantissimo Salvatore consuetudine, eo usq; excrevit, ut Christo interrogante: *Petre diligis me plus his?* ille responderit: *Tu scis Domine quia amo Te.* Joannis 21. Et Joannes per antonemariam dicatur: *Discipulus ille quem diligebat Jesus.* Joan. 12. Et de Magdalena ipsa testetur Veritas: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quousque excrevisse existimandus est amor Maternus? certè eò usque, ut inter homines, vel puras alias creaturas major haberi non posset. Expende nunc Parthenophile, quis, quantusque mæror, cum tot annorum tenerrimæ consuetudini assuetam Matrem deserit filius, qui unus ei erat omnia; cum in tristem mortem clauderentur oculi illi columbarum, quæ stellularum duarum instar coruscabant; cum mortualem pallorem ea indueret facies, in quam desiderabant Angeli prospicere.

Jam vero ad tertium amorem quod attinet, quique supernaturalis dicitur, fuit is absque omni dubio omni naturali amore

si amore incomparabiliter major & fortior; comprobavit hoc experientia in piissimo Abrahamo in quo charitatis amor erga Deum ita superavit, ac transcendit amorem naturalem erga filium suum Isaac, ut cum Deus sibi eundem dilectissimum filium immolari præcepisset, ipse Parens non hæreret vibrare gladium, caput filio demessurus, nisi aliud Deo visum fuisset. Hinc & à Domino audivit: *Nunc cognovi quod timeas Deum*, timore scilicet filiali, qui ex amore charitatis procedit. Hinc præclare dictum est à Spiritu Sancto *Cant. 8. Fortis est ut mors dilectio*. Sicut enim mortis fortitudo tanta est, ut omnia sibi subjiciat, etiam ipsum Salvatorem nostrum in cruce; Ita amor, & charitas ac dilectio Dei omnia vincit, omnia suo imperio subjicit, ipsum etiam Numen. Quantus autem fuerit hic amor supernaturalis in Virgine non existimem puram aliquam creaturam sufficienter assequi valere. Si enim hominis excellentia in statu supernaturali recte desumitur, ut docent Theologi, à magnitudine

dine gratiæ & charitatis; occurrunt verba S. Chrysoft. serm. de nativ. B.V. *Quidnam illa sanctius, non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non demum aliud quippiam inter cæteras res visibiles, & invisibiles majus, aut excellentius inveniri potest. Similia quamplurima leguntur in SS. PP. Occurrit S. Bonav. in spec. Virgo attulit aurum charitatis infinitum. Occurrit S. Ansel. de excell. Virg. c. 3. Nullus hominum vel Angelorum penetrare potest immensitatem divini amoris erga Virginem; & infra: Ineffabilis est, & stupenda omni seculo hujus mulieris gratia. Sed hisce pluribus non inhærebo, si tamen licet Parthenophile, immensitatem quandam hujus tuæ Dominæ charitatis, & amoris videre, quos & illam pluris æstimes, & magnitudinem dolorum exinde facilius colligas, & te fortius ad patiëntiam excites, posteaquam creaturam adeo Deo, præ reliquis omnibus dilectam, tot, tamque duris laboribus exercitam, perspexeris;*  
*tabulam tibi ex Justo Polono in lit. tit.*

*Mater*



*Mater Div. gra.* Viro de laudibus Matris Dei optime merito depromam, ex qua ad trigessimum solum actum divini amoris prima hora suæ animationis progressa est SS. Virgo, etiam adhuc existens intra uterum. Tabula autem supponit duo i. Beatam Virginem in gratia excellenti creatam, quam hic ponit author intensam ut 100. alii vero longe majorem, ita ut hic centesimus gradus perexiguus respectu tantæ Matris Dei futuræ censi possit. Alterum est, quod docent Theologi, Virginem Deiparam gratiæ semper meliore modo cooperatam fuisse, adeoque secundum totam latitudinem habitus, ita ut secundo actu ad minimum tantum gratiæ & charitatis acquireret; quantum ex actu priore relictum fuerat, & sic deinceps. Jam inspicite tabulam

Progress

Progressio Geometrica triginta terminorum, cuius  
radix sit 100. proportio vero dupla.

100	
200	
400	
800	
1600	
3200	
6400	
12800	
25600	
51200	
<hr/>	
102400	
204800	
409600	
819200	
1638400	
3276800	
6553600	
13107200	
26214400	
52428800	
<hr/>	
104857600	
209715200	
419430400	
838860800	
1677721600	
3355443200	
6710886400	
13421772800	
26843545600	
53687091200	
<hr/>	
Summa 107374182000.	

Numera nunc, si potes Parthenophile hos gradus charitatis, & gratiæ, quos Virgo Deipara acquisivit, forsan primo vitæ in materno utero actæ quadrante; & perge, si potes, progredi eadem proportione numeri, & temporis, ad annos circiter sexaginta tres, tum inspice thesaurum habitualis gratiæ, & charitatis in Virgine repertum, ac discet tandem, quid sit esse *Matrem Dei plenam gratia*. Discet quantopere Deus delectetur patientia, quando hanc creaturam, post humanitatem Christi sibi dilectissimam, & tantâ charitate munitam, tot nihilominus angustias, doloresque voluit sufferre. Discet demum cum sanctissima Virginis anima tota propemodum charitate in suum Jesum diffugeret, quibus illa tormentis, suppliciis, afflictionibus æstuaverit, videndo sibi tantopere super omnia dilectum, tot cruciatibus, infamiis, excarnificationibus & ipsa demum crudelissima morte interfici. Intensissimos profecto fuisse Virginis dolores necesse est, sicut amor omnium erat ardentissimus. Advertit hoc prudenter  
Bona-

Bonavent. cum dixit: *nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Et colligitur ex eo quod fugientibus discipulis ipsa generosior omnibus in fide perfisteret, & dilectione, prout habet Guilielmus in com. sup. cant. c. I. *Tanta virtute Christum dilexit, ut ad titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ut fugientibus discipulis, oblita se-  
xus fragilis, ipsa cum lachrymis astant cruci, & condolens morienti animam suam pro filio suo, etsi minime posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo. Stabat igitur sub cruce Mater Jesu, ast quomodo stabat? O dolores, inquit Bernardus super Evang. inexplicabiles, & ineffabilis reciprocatio sancti amoris, filius patitur, & intus valde compatitur Matri; Mater vero compassa est patienti filio: tantus nempe impetus passionis Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem; quia teste Psalmistâ: de torrente passionis in via bibit, ut sic Christo impleto, in Matrem fueret compatiens, quâ similiter impletâ, ad filium redundaret inundatio amaritudinis, & mœroris. Stabat igitur sub cruce Mater Jesu, & (ut habet Ludolph. de Saxonia)*

*Aspicie.*

Aspiciebat ancilla Dominum suum in cruce  
 pendentem, morientemque turpissimè, tanto-  
 que dolore vexabatur in mente, quod non po-  
 test explicari sermone, manabat enim sanguis  
 ex quatuor partibus rigantibus undis, ligno  
 manibus, pedibusque clavis confixis. De vul-  
 tu illius pulchritudo effluxerat omnis, & qui  
 erat præ aliis hominum speciosus, videbatur  
 indecorus omnium. Videbat, quod compleba-  
 tur propheticum illud in eo: Vidimus eum, &  
 non erat aspectus, neque decor, quia iniquo-  
 rum livor & verbera fœdaverant vultum  
 ejus. Deinde sic Virginem loquentem  
 inducit: Videbam me deserì ab ipso quem  
 genui, nec supererat alius, quia mihi erat uni-  
 cus, & ideo non potuit capi in me dolor meus;  
 Vox mea fere periêrat omnis, sed dabam gemi-  
 tus & suspiria; volebam loqui sed dolor ver-  
 ba rumpebat, quia verbum jam mente concep-  
 tum, dum ad formationem protenderet oris, ad  
 se revocabat imperfectum nimius dolor cordis.  
 Vox tristes sonabat foris, vulnus denuncians  
 mentis: Verba dabat Amor, quæ raucum  
 sonabant, nam lingua vocis magistra perdide-  
 rat usum loquendi. Videbam mori, quem  
 diligebat anima mea & tota liquefiebam  
 præ

præ

præ doloris angustia; Asspiciebat & ipse be-  
 nignissimo vultu Matrem plorantem, & me  
 voluit paucis consolari; sed ipsa consolari  
 non poteram, sed flebam dicens: Fili mi, fili  
 mi! quis dabit ut ego moriar pro te, moritur  
 filius, cur secum non moritur misera Mater?  
 Amor unice, fili dulcissime noli me derelin-  
 quere post te, trahere me ad te ipsum, ut ipsa  
 moriar tecum; male solus morieris, tecum  
 morte perimatur ista tua genetrix! O mors  
 mihi misera noli parcere, Tu mihi sola præ cun-  
 ctis places; exerce vires tuas, trucida Matrem,  
 & cum filio perime simul. Fili dulcor unice,  
 singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne  
 desiderium, fac ut moriar tecum, quia Te ad  
 mortem genui, sine Matre noli mori. Recog-  
 nosce me miseram, & exaudi precem meam,  
 exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo,  
 ut qui una carne vivimus, una morte perea-  
 mus. Et infra. Vita mea moritur, & salus  
 perimitur, ac de terra oritur omnis spes mea,  
 Cur ergo vivit in dolore Mater post filium?  
 tollite, suspendite Matrem cum suo pignore.  
 Non parcis proli, non parcas & mihi. Tu mi-  
 hi soli mors esto seva; tunc enim summè gau-  
 derem, si cum Christo meo mori possem. Me-  
 lius

lius est mihi mori, quam vitam ducere mortis.  
 O fili chare, ô benignissime nate, miserere Ma-  
 tris, suscipe preces, desine nunc esse durus Ma-  
 tri, qui semper ei fuisti benignus in cunctis. Ni-  
 hil vero dulcius mihi quam tecum mori, & ve-  
 rè nil amarius est, quam vivere post mortem  
 tuam. O Jesu tu mihi Pater, Tu mihi Ma-  
 ter, tu mihi sponsus, tu mihi filius, tu mihi om-  
 nia eras: nunc orbor Patre, viduor sponso,  
 desolor prole, omnia perdo: O fili mi quid  
 ultra faciam? finem imponere cogor  
 Parthenophile, innumeræ sanctorum  
 ejusmodi prostant sententiæ, quibus ex  
 amore Matris in filium, ejusdem colli-  
 gunt acerbiter dolorum, tantum &  
 tu Matrem tuam diligere comprobabe-  
 ris, quantum condolebis.

## CAPUT II.

*Amore dolorosæ Virginis libenter, & patien-  
 ter ferre amissionem bonorum; præsertim,  
 parentum, liberorum, amicorum &c.*

**N**on mediocri laude digni censendi  
 sunt ii Parthenophile, de quibus  
 Apostolus: Bonorum vestrorum jactu-  
 ram

ram